Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 609

Quelle:
Copyright:

ſiſtat et habundet. benedicti domino qui uocauit uos ad ſuum regnum &c. Per decurſum *Arius* nominatim accuſatur, et *Sabellius* dicitur *tam impius confuſor, quam ille diuiſor*. In *v.* etiam 14. *Job.* 1. non *habitauit*, ſed *habitabit* legitur. Ultima praeclari Homiletae ſunt: *a gratia baptiſmatis expiatos coheredes ſibi in regni celeſtis gloria preparet* &c.

Pag. Cod. *ult.* adſcriptum: *Preſentetur* (hoc Scriptum) *Magiſtro Thome haslpach, et rapiantur ab eodem epiſtole Sancte hyldegardis. Rapere* eſt currente calamo absque multo elegantiae ſtudio aliquid transſcribere. Inde *Rapiarium* Volumen Collectaneorum. Vides, quo modo Codices Virorum literatorum inter ſe communicatione multiplicati fuerint.

CCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 183. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus, rubricisque diſtinctus eſt *Epiſtolare D. Hieronymi*, initio ducto ab *Epiſtola ad Damaſum Papam*, quae eſt Edit. *Vallarſ. Opp.* T. I. *col.* 44. *n.* XVIII. et incipit: *Et factum eſt in anno, quo mortuus eſt* &c. finiturque, ut in Codd. *mſſ.* obſervante *Vallarſio* fieri ſolet: *auribus tantum ſtudeamus et lingua*, reliquis, quae in Edit. rite ſequuntur, per modum ſeparatae Epiſtolae *fol.* nobis 8. poſitis. *Fol.* 26. legas: *Epiſtola ſacre ſententie theodocii.* Nihil haec aſceticorum Ἀξιωματων Congeries ad *Hieronymum*. Incipit: *Perfectus homo eſt qui ſe ipſum cognouerit.* &c. Varia de Oratione, Anima, Mundo, Caritate fraterna, et ejusmodi e PP. Dictis poſt *Iſidorum Hiſpal.* lecta; nam quod ait Noſter: *Nauis in pelago propter nimias undas barcam in ſuo ſuſcipit gremio. Ubi autem approximauerit portum, reddet uicem barca naui quam accepit in pelago* &c. ex ejus *Orig.* L. XIX. c. 1. decerpſit. Quis vero *Theodocius* hic fuerit, qui, quae collegit, *beatiſſimos flores* adpellat, non invenio. *Fol.* 33. p. 2. *Ad Paulam et Euſtochium* ſpurius *Sermo de Aſſumtione B. Mariae*, merito remiſſus a *Vallarſio* ad T. XI. *col.* 92. qui illam corollam adpenſam non habuit:

Mundi poſt maria ſcriptori ſancta maria
Pro ſpe redde uices, tua proles ſit mihi merces.

Fol. 48. p. 2. Epiſtolae in Edit. CII. ad *Auguſtinum* deeſt nobis ultima Particula: *Miſit mihi temeritate ſolita* &c. *Fol.* 49. habetur *Auguſtini* Epiſtola ad *Praeſidium*, quod in *Hieronymi* negotio eſt; ceterum in Edit. *Maur. Opp.* illius eſt T. II. *col.* 168. *n.* LXXIV. Epiſtola ſequens ejusdem ad *Hier.* quae eſt *Vallarſii* CX. *col.* 723. nobis principio mulctata ibi incipit: *Cur itaque conor contra tractum* &c. *Fol.* 65. ſpuria ad *Tyraſium*, rejecta a *Vallarſio*